

Philosophis pro frigido est. Unde meridiana luce clarius patet, quod illa prior ratio Peripateticorum de frigido actuali nullius sit momenti: ut cum sumis plumbum colligatum postquam ab igne amotum fuerit statim condensabitur; hæc condensatio an num sit à calido, an vero sit à frigido? non certè à calido quod liquefacit, neq; à frigido actu, admota enim manu urit adhuc; sequitur igitur, quod istud minus calidum illi pro frigido sit. Neq; obstat quod dicitur cor est calidissimum & tamen habet pinguedinem, duplex enim istius pinguedinis causa est, altera in sanguine altera in corde: sanguis est tenuis, dulcissimus & pinguis, cor est durum; Jam negari non potest aliquos sanguinis vapores à ventriculis extraagi, & si quid cordi adheret in pinguedinem mutari: Deinde hoc opifex rerum fieri voluit ideo, ne cor ob perennes motus incandesceret & quasi incendio conflagraret. Cerebrum quod attinet non habet adipem quia nullus foret usus, vaporum enim humidorum sua densitate respirationem impediret. Sed ne iusto longiores simus ad reliqua progredimur. Materia itaq; est sanguinis pars pinguior, quæ per tennes venas roris instar exsudat. Finem fere cum carne communem habet: Membra enim afovet, vestit & tuetur, æstum partium interiorum mitigat, & per medias instar pabuli in alimentum mutari potest.

a. Vesal. lib.
2. c. 5.

THEOREMA XIV.

Pinguedo tandem dividitur in sebum & adipem.

In precedente theoremate diximus pinguedinem non unius esse generis, igitur ut eius diversitatem ostendamus necessarium est, præsertim cum videamus aliam alia crassiorem esse, & hoc accurata iudicii lance ponderantes anatomici pinguedinem in sebum & adipem diviserunt eo quod differrent materiâ, formâ & loco: Materiâ quia sebum ex sanguine corpulentiore, adeps vero ex magis aereo, nascitur: Forma quia sebum adipe solidius; Loco tandem, quia adeps inter cutem & membranam carnâ, sebum vero in extrema carne gignitur.

b. Fernel. lib.
1. c. 15.
Vales. in controvers. lib. 1.
c. 10.

Corol.